

in corde suo, et labia ejus movebantur, et vox ejus non audiebatur, et exaudivit eam Deus. Item legimus in Psalmis: Dicite in cordibus et in stratis vestris, et transpungimini. Per Hieremiam quoque haec eadem spiritus sanctus suggerit et docet dicens: In sensu autem tibi debet adorari Deus. Adorans autem, fratres dilectissimi, nec illud ignoret, quemadmodum in templo cum pharisaeo publicanus oraverit; non allevatis in coelum impudenter oculis, nec manibus insolenter erectis, sed pectus suum pulsans, et peccata intus inclusa contestans, divinae misericordiae implorabat auxilium. Et cum sibi pharisaeus placeret, sanctificari publicanus hic magis meruit, qui sic rogavit, qui spem salutis non in fiducia innocentiae suae posuit, cum innocens nemo sit, sed peccata confessus humiliter oravit, et exaudivit orantem, qui semper humilibus ignoscit. Quae Dominus in Evangelio suo ponit et dicit: Homines duo ascenderunt in templum orare, unus pharisaeus et unus publicanus. Pharisaeus cum stetisset, talia apud se precabatur: Deus, gratias tibi ago, quia non sum, sicut caeteri homines, injusti, raptores, adulteri, quomodo et publicanus iste, jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quaecumque possideo. Publicanus autem de longinquo stabat, et neque oculos volebat ad coelum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam magis, quam ille pharisaeus. Quia omnis, qui se extollit, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. Quae nos, fratres dilectissimi, de divina lectione discentes, postquam cognovimus qualiter ad orationem accedere debeamus, cognoscamus, docente Domino et quid oremus. Sic, inquit, orate: Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. Panem nostrum